

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XXXVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

prudenti quodam affectu plus nobis obsunt, quam profunt. Nec dignitatis tuae erit, ad eos magnas epistolas scribere, quos vix aliquis suo colloquio dignatur. De his te amice monere volui, tu ea in bonam semper partem interpretare. Secundum hyperaspiste librum videre cupimus, qui nondum ad nos allatus est. Coronidem, quam Babylae te adjecisse scribis, non vidimus, neque quid Babylae sit, scimus, ni tu id nobis explanaveris. Sunt praeterea, qui a te discere cupiunt, quid sibi velit effigies illa, cum qua soles literas tuas obsignare cum suo dicitio: Cedo nulli. Agitur de Principum concordia, quam Caesar pro publica tranquillitate ex animo optat, sed video aliorum animos in Reip. perniciem ruere praecipites, ni DEI bonitas rebus nostris prospiciat, de utraque Republ. actum erit. Vale. Burgis, 9. Cal. Decembris, 1527.

Hæc raptim scripsi, instat enim tabellarius, nec potui plura.

Agnosco tuum

Valdesium.

XXXVI.

Viromaximo, D. Erasmo Roterodamo, Reipublicæ

Christiana amico Praesidio, Domino ac Praeceptoris suo colendissimo.

Friburgi Brisgojæ.

Superioribus nundinis dedi ad te literas, amantes quidem eas & perquam loquaces, sed te, tanto quippe viro non indignas modo, verum etiam indignissimas: sed nescivit consilium, nescivit modum amor. Scripsi, quæ sensu simplicissimè, malens temerarius quam timidus esse. Summa rei erat, Oecumenica Synodus. Bone Christe, ut animum meum obsedit ejus negotii tam magni quam necessarii consideratio perpetua! Nihil nunc in votis meis est hoc ipso prius. Nam video summi mali nullum finem, nisi causa legitimo modo transigatur. Bello exulceratur, non sedatur. Germania divisa est maximo periculo Romani Imperii, nedum Christianismi. Si dormitabunt proceres, stertit Religio. Atque ubi sunt Rhetores, qui orationis stimulis ad leviuscula sæpè & orbi perniciofa quædam excitare primatum turbam soliti sunt. Quin illi nunc nervos intendunt omnes, & è media arte accendunt istorum frigus, quorum eo in negotio autoritas plurimum valitura dicitur. O surdas aures tuas, Roma, o pectora ad considerationem rei maximæ emortua & in desideriiis Mundi huius sepulta! Quomodo habet titulus tuus, quæ est professio, quod

quod officium? Satisne diu expectamus opem debitam nobis Catholicis? Siccine grex Domini Jesu nulli vobis curæ est, uti fama non tarda in orbe universo volat? Num percussi sunt animi vestri à bonis, qui queruntur de neglecta à vobis vinea & à malis, qui vos non honestis admodum nominibus accusant ac damnant? Sed bona est spes, fore, ut emolliat Curiam Cæsar Carolus aut certe fatiget improbitate, quo vel ob pudorem saltem detrectare non possint id, quod sua inprimis intererat. Quid pars Lutheri factura sit, ignoro, sunt, qui putent eam ad conditiones æquas non descensuram. Arbitror ego, descensuram, si amice evocetur & comiter tractetur, sicque in conventu omnia quam mansuetissimè agantur. Videntur enim quidam illorum ferè languere. Quosdam audio haud dissimulanter velle, quod nunquam receptum fuisset dogma, ob tot incommoda, quæ & peperit & parturit. Ferocia authoris Lutheri mitescet, ubi doctiss. hominum ex omni Europa advocatorum, judicium audiet, cristæ superbissimæ conflaccescent, cornua immania decident illi, quum non in sterquilinio suo sed in luce virorum clarissima ratio opinionis hesternæ reddenda fuerit. Tu ab actione utilissima minimè omnium aberis. Non audirem, si Cæsar essem: laboro calculo, venire non possum. Imo juberem ego Appium & senem & calculosum deferri. Non est ad portas Hannibal, non agitur de Pyrrhi pace, sed Cacodæmon everfionem Christianæ religionis ad extremum molitur, & de Ecclesiæ pace agendum est. Unus tu multorum instar, ea propones, ea disputabis, ea respondebis, ea dijudicabis, ea consules, ea censebis, quæ nemo. Solon, si Plutarcho credimus, coortis apud Athenienses factionibus, sollicitè cavit, ne ulli favere videretur, sed omnibus se communem præbuit, illud unum agens, ut discordes, in gratiam redigeret. Unde communi consulto & discordiarum transactor & legumlator egregius declaratus est. Speramus, eum te futurum Solonem, Erasme, cujus sententia non nihil adimatur utrique parti, ut dissidium adimatur. Ob concordiam omnia tentanda sunt, & ante in Constitutiones mittendus ensis, quam diutius ferenda discordia. Non est audiendus Lutherus, non sunt audiendi Sophistæ, sed Erasmus, & hujus similes, hoc est, ii, qui neutram partem, sed Christianismum ab animo & sincerè juvant. Faxit isthuc bonus Christi Spiritus, Amen. Te valere optime semper cupio & opto, ut Nonagenarius, si ultra non detur, supervivas Ecclesiæ commoda, precor item, ut ad eam existimationem redeas, à qua propemodum te invidia hujus tempestatis depulit. Sopitis dissidiis inclarescet, spero tuum nomen, quod nunc obscurant illi, quos tu illustrasti. Intelligis, quos sentiam. Factio Saxonica in me concitata est, quod deserim pedes abertivi istius Papæ deosculari. Jonas tibi olim laudatus, nunc hostis tuus, scripsit in me, cum aliud non suppeteret, mendacia & convicia. Ego respondi, sed nondum parata est editio. Exiit præter hunc alius calumniator fatilissimus,

simus, sed non magis curo istiusmodi insultus, quam si me femina lapillo pederet, *ἡ μὲν ἰσχυρὴ*, ut inquit Poëta. Vale in Christo JESU, à quo emendatio & pax Ecclesiæ. Amen. Datum Facchæ, Dominica Judica, Anno M. D. XXXIII.

Literis prioribus non respondiſti, quod quidem ego viderim, utinam saltem iis responderes Fuldam missis literis tuis. Iterum vale.

Georgius Wicelius,
Discip. tuus,

XXXVII.

S Miror, tibi meam epistolam cum Stunicæ annotationibus non fuisse reditā, intellexisses, nihil me separatim mississe. Sed curasse tamen diligenter, ut tibi primo quoque tempore chartæ illæ, Bononiæ ab Inacho Cardinali receptæ, rursus mitterentur. Quod te scribis ex literis ipsius intellexisse, morientem Stunicam mandasse, ne quicquam earum ederetur in vulgus, sed ad tuos usus in bonum publicum reservarentur, hoc ego non ignorabam, qui idem tibi fueram in Antapologia testatus. Expedire porro ad famam Stunicæ, ne emittantur, propterea quod multa sint in eis frivola & perperam reprehensa, tibi haud difficulter assentiar, sed tu vicissim intelligis, hoc nihilo magis ad tuam laudem pertinere, qui fateris, eundem multa benè perspexisse. Quanquam igitur neminem puto commissurum, ut quicquam edat præter mortui voluntatem, postremis vocibus testatam, erit tamen tuæ humanitatis, per occasionem facere, ut homines intelligant, Stunicam à te non profus laude sua fuisse fraudatam, ut simul tuo more fungaris officio boni viri, simul ansam tollas editionis, quam posset quispiam arripere ingratitude prætenta; nihil est aut quod specimen quemadmodum, si velim, polliceris, aliquorum perperam ab Stunica reprehensorum mittas ad me, cui nihil minus est propositum, quam Stunicæ in omni causa patrocinari, præsertim contra te adversarium potentissimum & quem summis ipse viris parem semper judicavi & ob eam rem observo, amanterque colo. Nec dubito pro tua prudentia, quin jam sublata contentione ingenuè sis admonitiones defuncti, quasunque rectas putaveris, admissurus. De verbo Pauli: *εὐσεβείᾳ* sit satis admonuisse, mihi tamen certissima ratio semper erit pluris, quam omnes interpretes, quorum neminem probabo, qui translatis dubiisq; vocabulis vertet, quod auctor proprius ac artis prodiderit. Thomam non accuso, quod loca disjunctissima conjungat, nam qui possum iter viginti dierum interponentem: sed quod frigide commentus sit itineris judæorum